





1734.

1. Hartmannus, Dr. Zach. : De etymologia vocis Wied.  
Bd. 2d. 2. 1735

2. Hartmannus, Dr. Zacharias : De privilegiis eorum appellando exceptionem litis in supremis imperii tribunaliibus pendebitis impediente.

1735

1. Hartmannus, Dr. Zacharias ; Ord. jas. Decanus : Programma :  
, ut similiter dimitus equum Holsatiorum cum  
equitibus Bremeribus, dissertationis Dicberici  
Kerstens praemissum.

2. Hartmannus, Dr. Zacharias : De prescriptione  
num Decennals, nunc Sacrae honestes proprieas uti-  
lium Hericcuriam ac Holsatiorum pristinam  
a dominica potestate liberante, ad 5/15 p.Y T. 5.  
(ad) provincialis Herico-Holsatiae

1736.

1. Hartmannus, Dr. Zach. : De iure sacro et libeccio-  
tarata Holsatiae jura et civitate Lubecensi, qua repre-  
sentationem in successione collateralium, exulantibus.

1736.

2. Hartmannus, Jo. Zacharias, Ord. iur. prodecens: Pro-  
gramma: "Refare Tatio Encata Hessicensi; qua  
successionem virianam inter collaterales censentem, ex u-  
cante

3. Hartmannus, Jo. Zacharias: Re partibus ac juriibus fiscalium  
in processu singularibus

4. Hartmannus, Jo. Zacharias, Ord. iur. prodecens: Program-  
ma: "De tribus fiscalium virtutibus cardinalibus,  
habetque, quae cum illis pugnat, vitiis", Disserta-  
tio eiusdem Thomas Matthiae Martini praemissa.

5. Hartmannus, Joannes Zacharias: De felicitate subjectorum  
electoralium Brunswickum ac Limburgensem.

6. Hartmannus, Jo. Zacharias: De efficientia varia-

### Fision

7. Hartmannus, Jo. Zacharias, Ord. iur. decanus:  
Programma: "De variatione pactis gentium ante  
ratificationes, que vocari solent, illustrata; disser-

Lahoni in ang. Rikelii Niefers & Zosterfeldt praemissa.

1737.

Hane, Philip Fridericus : De articulorum, maleficorum  
ancorata, carangue symbolicae. Matis

1739.

Vorn, Amandus Christianus : De iuri criminali  
exule in iuris ecclesiasticis

1740.

1. Vorn, Amandus Christianus : Lingularia querelae testamenti-  
in officiis capita, tom secundum jas Romae quae  
Germanicum . . .

2. Vorn, Amand. Christian, Ord. ius. decanus : Programma: ut  
muta testamenta principum querela in officiis locum  
habeat ?, dissertationi in ang. Dr. Christph Mygnall pre-  
missum.

1772.

Sturias, Frd. Gotlieb : De clausulis reservatione  
et protestatione in conventionibus privatorum propriis.

1944.

Shurias, Trevor. Lomax : Do communists like communists  
transmit their actions

3792.

1742

16

X.  
Dissertatio inauguralis juridica  
**DE CLAUSULIS RESERVATIONUM ET PROTESTATIONUM**  
**IN CONVENTIONIBUS PRIVATORUM PROFICUIS.**

QUAM

EX

DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS  
JURIDICÆ  
IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA

P R Ä S I D E

**D. FRIDER. GOTTLIEB STRUVIO,**  
REGIÆ CELSITUDINIS SLESVICO-HOLSATIÆ CONSILIARIO  
JUSTITIÆ, PROFESSORE ORDINIS JURIDICI PRIMARIO,  
FACULTATIS p. t. DÉCANO,

PRO GRADU DOCTORALI  
SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS PUBLICIS CAPESSENDIS

AD DIEM APRILIS ANNI MDCCXLII.

PUBLICO ERUDITORUM

EXAMINI SUBMITTIT

**PETRUS CHRISTIANUS DE FINCKH,**  
NEOFELDA-BREMENSIS.

---

K I L I A<sup>E</sup>,  
LITTERIS GODOFREDI BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.



V I R O

*Illusterrimo, Generosissimo, atque Excellentissimo  
cum generis splendore, tum Eruditione & vir-  
tute vere Nobilissimo, omniumque rerum  
usu longe præstantissimo*

DOMINO

**PHILIPPO ADOLPHO  
de MUNCHHAUSEN.**

SACRÆ REGIÆ Magnæ Britanniæ MAJESTA-  
TIS & SERENISSIMI ELECTORIS Brunsvico-  
Luneburgici, Consiliarii Intimi, Regiminis & Con-  
fistorii, ceterorumque Collegiorum Illustrium, Du-  
catuum Bremensis & Verdensis, Præsidi splendidissi-  
mo, Provinciarum Hadlensium Directori emi-  
nentissimo, Dynastæque Gravissimo,  
Reliqua.

V I R O

V I R O

*Illustri, Generoso, ac Prudentissimo*

**DN. BODO FRIDERICO  
de BODENHAUSEN,**

SACRÆ REGIÆ Magnæ Britanniæ MAJESTA-  
TIS, Serenissimique ELECTORIS Brunsvico Lu-  
neburgici, Regiminis Ducatum Bremensis & Ver-  
densis Consiliario Exquisitissimo, Consistorii,  
Dicafteriorumque Bremensium ac Ver-  
densium Membro Consultissimo,

V I R O

*Illustri, Generoso, Amplissimoque*

**DOMINO NICOLAO  
von der DECKEN,**

Eiusdem SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS, Re-  
giminis Ducatum Bremensis & Verdensis Consilia-  
rio maxime merito, Consistorii, Dicafteriorum-  
que Bremensium & Verdensium Mem-  
bro dignissimo.

V I R O

2019212017 VIRO

*Illustri, generoso, prudentissimo, multaque rerum  
experientia laudatissimo*

**DN. JOHANNI HENRICO  
de SPILCKER,**

Ejusdem SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS, Po-  
tentissimique ELECTORIS, Cancellariæ Bre-  
mensis Verdenfisque, quæ est Stadæ, Dire-  
ctori gravissimo,

VIRO MAGNIFICO

*Celeberrimo, Consultissimo, prudentissimo  
ac Doctissimo*

**DN. JOHANNI JULIO  
SURLAND,**

Juris Utriusque Licentiato, ac Civitatis Imperialis  
Hamburgensis Syndico spectatissimo &  
honoratissimo,

DOMINIS, PATRONIS AC PROTECTORI-  
BUS MAXIME SUSCIPIENDIS

MÆCE-

MÆCENATIBUS GRATIOSISSIMIS  
PATRIÆ, QVAM REGUNT, PATRIBUS  
DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM.  
OBSEQVII ET CLIENTELÆ PERENNIS TESTANDO-  
RUM CAVSSA  
NON TAM DICAT, CONSECRAT ET TRANSSCRIBIT,  
QVAM POTIUS  
EA QVA DECET REVERENTIA MENTISQUE  
DEVOTIONE  
TRADIT AC OFFERT  
SE SIMUL ET STUDIA SUA  
PATROCINIO, GRATIÆQVE, QVIBUS US-  
QVE FRUITUS EST  
ULTERIUS SUBMISSÆ COMMITTIT  
INGENTIUM, MAXIMARUM VIRTUTUM,  
EXEMPLORUM

CULTOR OBSEQUIO NULLI CEDENS  
AUTOR.



### Th. I.

**A**bundant conventiones atque contractus privatorum variis *Clausulis*, quibus jura nostra, adversus soleritiam aliorum hominum tueri solemus. Ex harum tamen numero illas tantum ad examen *Dissertationis praesentis inauguralis* revocare animus est, quae reservationem quandam ac protestationem de *Jure nostro conservando* inferunt: Haec enim plerumque in eandem causam coincidunt & ideo optime conjungi possunt. Et quidem potiores saltem ac frequentiores examinabimus; siquidem omnes, quae obveniunt, expendere, partim modulus *Dissertationis* non permittit; partim multitudo prohibet, cum plures in facto sint positae, atque ex arbitrariis partium conventionibus in infinitum produci possint.

### Th. II.

Per *clausulas* autem hic non tales dictiōnum formulæ, quæ præcise fini contractus subjungendæ forent, subintelligimus; verum potius quamlibet conventionis partem, sive primo, sive medio, sive ultimo loco ponatur; siquidem in uno actu aut contextu continuo, prioritas atque posterioritas scripturæ non attenditur. §. 3. 4. *Inst. de Legat.* l. 24. *Cod. de testam.* l. 6. ff. *de solut.* Ac proinde talia contra-

Thema  
disserta-  
tionis pro-  
ponitur.

Explicatio  
vocis  
*clausulae.*

A

& tuum

& tum ac conventionum inserta, insunt eisdem atque ab eorum compleimento suam vim atque efficaciam civilem accipiunt.

## Th. III.

**Declaratio  
ulterior,  
restricta  
ad con-  
tractus.**

Agimus præterea hic de illis tantum *Clausulis*, quæ conventionibus atque contractibus ex placito partium speciatim inferuntur. Atque ideo a præsenti consideratione excludimus, illas protestationum ac reservationum formulas, quas ad jura nostra, forte circa regressum, vel alia conservanda extra contractum, separatis adhibere solemus. Ut exemplum est in *protestatione cambiali* contra non acceptatum cambium. Stryck de *Cautel. Contr. Sect. 3. cap. 5. §. 17.* Est enim materia Reservationum atque Protestationum amplissima, & contractus longe supergreditur, quam tamen omnem exhaustire, non intendimus.

## Th. IV.

**Declaratio  
ulterior  
circa adje-  
cta extrin-  
fucus.**

Supponimus porro hic tales *clausulas*, quæ *pacto* partium *expresso*, conventionibus *extrinsecus* adjiciuntur: Nimirum ad secernendas illas reservationes aut protestationes, quæ vel ex natura conventionis, vel ex dispositione legis communis aut statutariae tacite iisdem insunt. Ut exemplum est in *pacto additionis in diem*, nec non *legis commissoriae*. Ubi reservatio ac resolutio dominii, in casum existentis conditionis, totam formam conventionis absolvit. Et sic non habetur tanquam pars contractus clausularis extrinsecus ad polita, sed ipsam substantiam contractus conditionalem constituit.

## Th. V.

**Quasi  
contractus  
huc non  
pertinent.**

Ex hisce appetet, *quasi contractus* ad nostrum censum non pertinere, siquidem hi nulla expressa partium conventione ineuntur, verum saltem consensu tacito, aut præsumto

sumto constituuntur. t. t. *Inst. de oblig. qu. ex quaf. contr. nasc.*  
 Et ideo receptas ac vulgares illas clausulas partium pacti-  
 tias non admittunt; Nihilominus tamen analogum aliquod  
 illarum clausularum recipiunt. Ita in *aditione hereditatis*,  
 quæ quendam quasi contractum hæredis cum legatariis ac  
 fideicommissariis involvit, *confessio inventarii*, protestatio-  
 nem quandam tacitam atque legalem infert, quod hæres  
 ultra vires hereditatis, & ultra notam legis Falcidæ teneri  
 nolit; *l. ult. §. 4. Cod. de jur. deliber. STRUV. Synt. Civ. Exerc.*  
*33. th. 57.* At vero hic effectus magis ad *beneficium legis*  
 quam ad conventiones partium refertur. Unde & talis  
*hæres* beneficialis stylo forensi vocari solet.

## Th. VI.

Porro circa negotiorum gestionem utilis est aliquando Quidcirca  
 gestori protestatio subjecta, se nolle ultra gestum teneri; Er<sup>negotio-</sup>  
 rum gesti-  
 wolle nicht weiter gehen, nicht weiter gehalten seyn,  
 onem ob-  
 als nur diesen oder jenen Geld-Post nomine absentis in servan-  
 Empfang, und forte bis zu dessen retour, in Verwah-  
 rung zu nehmen; mit den übrigen Geld-Posten oder  
 Capitalien habe er nichts zu thun & ita similiter: Quan-  
 quam enim obligatio gestionis regulariter ultra gestum  
 non contrahatur. *l. 15. l. 16. ff. de negot. gest. L. 20. Cod. cod.* ut  
 proinde tali protestatione opus esse non videatur. Atta-  
 men potest contingere, ut aliis, qui omnia gerere voluiss-  
 set, contemplatione hujus gestoris desitterit, & ita negle-  
 cta fuerint quædam absentis negotia, atque is in damnum  
 inciderit; Quo casu gestor unius negotii, qui alium, omnia  
 gesturum, prævertit, etiam de reliquis ac neglegitis tene-  
 retur, quando scivisset, alterum propterea destitisse *l. 6. §. ult.*  
*de neg. gest. Struv. Synt. Civ. Exerc. VII. th. 49.* Atque hoc ca-  
 su utilis non tantum sed & necessaria foret illa protestatio,

A 2

ut

ut inde alteri liberum adhuc maneat, officium suum amicitiae erga absentem persequi.

## Th. VII.

Protestatio  
nautæ  
cauponis  
stabularii.

Præterea circa receptionem, quæ sit a nauta, caupone, stabulario, observandum. Quod utilis omnino ex parte nautæ &c. sit protestatio, ad culpam a se declinandam; Quando viatori ad se divertenti, vel res suas inferenti, prædixit; ut unusquisque res suas sibi servet, neque damnum se præstaturum. Ein jeder solle seine Sachen selbst währen, er könne und wolle davor nicht stehen. l. 7. pr. naut. caup. stabul. Per hanc enim protestationem, quam per se vel per alium ministrum, eo nomine præpositum, declaravit, liberatur a præstatione damni, quod facto aliorum contingit, de hoc enim præstando, ex quasi contractu receptionis obligatur. l. 1. naut. caup. stabul. Est tamen necesse, ut ante receptionem rerum aut personarum, talem protestationem interponat. Ex post facto enim interposita, si semel receperit, nullius est momenti, siquidem obligatio per receptionem simplicem absque protestatione factam, semel est nata, aqua se, invito altero, liberare nequit. Stryck. Vf. mod. Pand. tit. naut. caup. stabul. ib. fin. Nec tamen necesse est, ut viator expresse tali prædictioni consentiat, sed sufficit, tacitus consensus, qui ex eo inducitur, quod maneat ibidem & res suas inferat, & sic in tali protestatione acquiescat. Stypmann de jur. marit. Part. IV. cap. 20. num. 20.

## Th. VIII.

Clausula  
litis conte-  
stationis.

Annumeratur porro quasi contractibus litis contestatio, juxta l. 3. §. 11. ff. de pecul. l. 29. ff. de Novat. Ubi frequens Practicorum clausula observatur annexa; de lite non contenta, nisi exceptionibus antea a reo oppositis fuerit satisfactum: Und sagt Beklagter hiemit exceptive, jedoch nicht ani-

animo litem contestandi, deshalbē er feyrlīchst protestiret. Ut̄ notat Stryck *Intro. ad Prax. cap. 15. th. 4.* Exprimitur hæc clausula & aliis verbis v. g. Er wolle hiemit (reus), jedoch nicht anders, als bis, ehe und bevor de-  
 nen opponirten exceptionibus abhūlfiche Massē gegeben,  
 desuper solemnissime expresse protestando, folgender Ge-  
 stalt sich auf die erhobene Klage einlassen und antwor-  
 ten. Nimurum cum exceptions dilatoria regulariter post  
 litem contestatam amplius opponi nequeant, verum pro  
 præclusis habeantur. *L. pen. & ult. Cod. de except. cap. 4. X. cod.*  
*Zanger de Exception. Part. II. cap. 22. num. 3 & seqq.* Interim  
 tamen, cum reus semper non sit certus, an tales exceptio-  
 nes eo pertingant, ut a litis contestatione liberetur, verum  
 periculum subire debeat, ne illis rejectis, & litis contesta-  
 tione injuncta; in expensas termini condemnatur, Dass  
 Beklagter, Einwendens ungeachtet, sich auf die erhob-  
 ene Klage einzulassen und zu antworten schuldig; und  
 weil er solches vorjezo nicht gethan, die Unkosten die-  
 ses termini, bis auf richterliche Ermässigung zu erstatten  
 schuldig. Inde ad præcavendam eam condemnatio-  
 nem in expensas, *eventualis litis* contestatio, usu forensi re-  
 cepta est, siquidem tunc decretum formari solet; Und  
 weil er solches bereits in eventum gethan, der Klage  
 aber nicht in allen Puncten geständig &c. Ne igitur hæc  
 litis contestatio effectum præclusivum inducat, solet se reus  
 sic prædictis protestationum formulis; præmunire, atque  
 ita exceptions suas dilatorias conservare. Magis, tamen  
 ex superabundanti, quam ex necessitate civili. Siquidem  
 illa eventualis litis contestatio vera non est, sed con-  
 ditionata tantum, atque ita in se & sua natura tamē præ-  
 clusionem operari non potest. Mynsing. *Cent. 3. Obs. 74. Mev.*  
*Part. II. dec. 335.* A 3 Th.

## Th. IX.

Quid juris  
circa pœ-  
nitentiam  
in contra-  
ctibus in-  
nominatis

Circa *contractus innominatos* se offert disquisitio; Utrum  
*facultas pœnitendi* invita altera parte, speciali conventionis  
clausula sit reservanda, an eadem per se ex natura contra-  
ctus competit? Certe de jure civili res clara est; quod sci-  
licet *facultas pœnitendi* tacite insit, & idcirco non opus sit,  
ut speciali pacto exprimatur vel reservetur, per *I.7. §. 2. de  
P. V. l. 3. §. 2. l. 5. pr. de condic. cauf. dat. Struv. Synt. Civ. Exerc.  
XXV. th. 12. 13.* At vero de moribus hodiernis haec quæstio  
maxime fit controversa, propter ancipites Ddruim opinio-  
nes, quas de vi atque efficacia pactorum in foris Germaniæ  
habent. Constat scilicet; quod omnes *contractus inno-  
minatos* pactum aliquod de dando vel faciendo præcedat.  
Id quod jure quidem Romano nudum, ac proinde non  
obligatorium vocatur. Verum cum jure canonico & mo-  
ribus Germaniæ etiam ex pacto nudo valida descendat obli-  
gatio, *juxta cap. ult. X. de patt.* Inde emergit dubium; An  
non vis & efficacia pacti hodierni, hanc pœnitendi facultatem  
excludat, ut ideo eadem non possit competere, nisi  
speciali pacti clausula fuerit reservata? Alii pro jure veteri  
pugnant, simul distinguentes, inter pactum nudum *simplex*  
& *correlativum* sive *correspectivum*, atque ita concludunt;  
Quod Paœta quidem *simplicia* per se sint obligatoria, &  
facultatem pœnitendi in se non habeant; Alter vero rem se  
habere censem in pactis *correlativis*, quæ fundamentum  
præparent contractibus innominatis; quippe quæ absolutam  
obligationem non involverent, & sic facultatem pœ-  
nitendi non tollerent, quamdiu complementum contractus,  
utrinque suppositum, non fuerit secutum. Carpzov. *Part.  
II. Conf. 33. def. 23. Struv. Decis. Sabbath. ad Jus Canon. cap. II.  
dec. 2. contrarium defendunt Stryck us. mod. Pand. tit. de esti-  
mat. art. th. 2. 3. & ab eo ibidem plures allegati.*

Th.

Ut autem rem libere & absque præjudicio autoritatis <sup>Epicrisis</sup> humanae pensitemus; juxta statum hodiernæ jurisprudencie additur. duos præcipue casus feligendos arbitramur; Aut res sive negotium, quod inter duos vel plures de dando vel faciendo gestum est, in *terminis nudi adhuc atque simplicis pacti consistit*, ita ut a neutra parte, nec datum, nec factum quid sit, sed nuda tantum conventio intercesserit. Hoc casu, de Jure Romano utrique facultas pœnitendi competebat, quia efficax obligatio civilis ad parendum de jure civili ex pacto nudo non dabatur. l. 7. §. 4. de paet. l. 1. Cod. de paet. conventionis stipulatio intervenerit. l. 3. Cod. de rer. permis. Hæc enim superveniens obligationem paetitiam transformabat in vim contractus civilis, & sic validam obligationem producebat, a qua invita altera parte, non licet recedere; Unde concludendum foret, quod, cum hodie paetis nudis eadem vis tribuatur, ac olim stipulationi, idcirco paetum tale inter pacientes firmum ac validum in foro producat effectum, ac proinde facultatem pœnitendi excludat. At vero quando libertatem gentis Germanicæ in pacificando inspicimus, non putamus, hoc conclusum omnem causam absolvere, atque penitus conficere. Verum ut ulterius tramitem Juris Germanici, posterioribus temporibus cum jure Romano permixti, persequamur, hoc æquilibrium atque temperamentum subjecere tentabimus; ut discernamus inter *objectum conventionis*; An utrinque *res & dationes rerum*, sint in conventionem deductæ; An vero ex una parte *res*, ex altera *factum* intervenerit. Et tunc dispicendum rursus, quis pœnitere velit; an ille, qui *rem dare promisit*, an ille qui *factum præstare debuit*, velit a conventionis placito recedere; Priori casu, quando *res vel rerum dacio*

tio utrinque stat in promissis, & alter pacientium rem  
exigat, suamque offerat: & sic ex parte sui implementum  
contraictus praestare velit; vel etiam ad factum suum prae-  
standum paratus sit & rem exigat; alter pœnitere & rei  
vicissim a se promissæ extraditionem declinare nequit. Ve-  
rum res manu militari debitori moroso auferenda, vel per  
juramentum in item dolus promissoris aut culpa coercen-  
da, si res perierit, aut alio modo possideri desierit, ut jam  
amplius praestari non possit. Atque haec decisio & analogia  
Juris communis ob vim stipulationis pacto hodie tri-  
butam, & æquitati naturali, quæ fidem Germanicam susti-  
net, optime congruit. Aut vero iste pœnitere vult, qui  
se ad faciendum pacto adstrinxit. Et huic neque hodie fa-  
cultatem pœnitendi, praestito tamen interesse, denegandam  
arbitror; siquidem assertum illud civile; Omnem obliga-  
tionem facti sua natura esse alternativam, ut promissor vel  
facere vel interesse praestare teneatur. *l. 7. pr. de verb. Olig.*  
*libertati Germanicæ non adversatur.* Ut idcirco in hoc  
passu, jus Romanum cum Germanico optime conciliari  
queat. Ut sic facultas pœnitendi per consequentiam, tali  
casu, etiam citra expressam pacti reservationem ipso jure  
competat.

## Th. XI.

Alter casus circa contraictus innominatos, hic est; Quan-  
do conventio inter pacientes inita, ultra fines simplicis ac  
nudi pacti processit, & ex una parte per præstationem fa-  
cti vel dationem rei ad formam contractus innominati  
transit; Ubi certe nihilo minus adhuc danti, jure Roma-  
no pœnitere licebat, ita, ut datum posset condicere, ex nu-  
da pœnitentia etiam sine causa, & licet alter in mora dan-  
di vel faciendi non esset, propter implicitum quendam  
quasi

quasi contractum, qui dicebatur *acceptio ob causam*, & talem  
 pœnitendi facultatem ex parte dantis sustinebat. *l. s. §. I. P. V.*  
 Hoc ergo casu, quando contractus innominatus a præsta-  
 tione facti incepit, frustranea est quæstio de facultate pœ-  
 nitendi ex parte facientis, cum factum infectum fieri ne-  
 queat, nisi forte ita quæstionem formare velis; An faciens  
 possit res vicissim promissas repudiare & agere ad aſtima-  
 tionem vel mercedem facti præſtit, quæ forte pretium rei  
 dandæ posset excedere? Et hoc negandum censemus, quia  
 ſemel pretium laboris, quod in re promissa alicui accipere  
 placuit, poſtea repudiari nequit per *l. s. Cod. de O. & A.* Aut  
 vero denique contractus a *datione rei* incipit, tunc quærer-  
 tur? An is, qui dedit, pœnitere queat, quando ſpeciali pa-  
 tho pœnitendi facultatem, in caſum forte moræ vel alius  
 cauſæ ſuppoſitæ, fibi non reservavit. Et hoc assertores  
 fidei Germanicæ omnino negabunt; Verum nos quæſtionem  
 hanc *facti* magis quam *juris* putamus, ita, ut pro diverſitate  
 circumſtantiarum, quæſtio quandoque fit *affirmanda*, quan-  
 doque neganda, prout animus pacifcentium ex verbis con-  
 ventionis vel circumſtantiis negotii appetet, hæc enim  
 intentio magis quam omnes ſubtilitates ac diſtinctiones,  
*juris* ſpectanda venit, & benignè fidei Germanicæ congruit.  
 Idque optima ratione exemplis obvenientibus declarari  
 poterit; Uti caſus hic eſſe poſſet; Dedi Advocato vel Me-  
 dico centum, ut malam cauſam, & corpus curet. Illa  
 breviſſime per transactionem ſanata; hæc per mortem ex-  
 tincta; Iniquum foret immodicum lucrum relinquere &  
 facultatem pœnitendi, ei, qui dedit, vel hæredibus illius  
 adimere. Verum remiſſo & relicto tanto, quod æquum eſt,  
 ad compensandum illius interelle, ſuperfluum omnino ju-  
 ſtissima æquitatis ratione condicendum venit. Et ita pariter  
 de ſimilibus erit judicandum.      B      Th. XII.

## Th. XII.

Restri<sup>c</sup>tio  
ad con-  
ventiones  
privato-  
rum.

Restringimus porro nos ad *conventiones maxime privatorum*, quæ circa negotia eorundem occurrunt. Atque idcirco curas nostras, pro præsenti, non extendimus ad illas protestationum ac reservationum formulas, quæ in Privilegiis publicis, ac concessionibus Principum gratiosis obveniunt. Ut exemplum est in confirmatione, quæ Rotulis opificum, illorumque articulis a summo Magistratu indulgetur, plerumque sub hac formula reservatoria: *Wir behalten uns aber bevor diese Articul zu vermehren oder zu vermindern, oder auch nach Besinden wieder aufzuheben.* Conf. Dni. Præl. System. Jurisprud. Opific. Tom. I. Lib. IV. cap. 6. th. 18.

## Th. XIII.

Forma  
clausula-  
rum.

Forma istarum clausularum est mere arbitraria atque a placito partium dependet, magisque in his ad mentem & intentionem partium, quam ad certa verborum solemnia respicitur, & sufficit, si modo *disertis verbis* exprimantur; siquidem clausulæ obscuræ atque ambiguæ, non tantum instrumentum faciunt suspectum, verum etiam contra eum interpretandæ sunt, qui loqui debuit ac potuit apertius. arg. l. 39. ff. de paet. Nec tamen ad formam atque vim illarum, juxta mores hodiernos interest, an in continent, an ex intervallo, contraetibus, æque tam stricti juris, quam bonæ fidei, adjunctæ sint; Etenim omnes istæ clausulæ conventioni aut contractui celebrato ita adpositæ hoc operantur, ut dirigant præstaciones contractus personales & forment actionem inde provenientem in plus vel minus; ac proinde tam ad actionem, quam ad exceptionem forensem producendam conducunt. Referuntur ideo ad conventionum atque contractuum *Accidentalia*, quæ salva

con-

contractus substantia abesse vel adesse possunt, nisi speciatim quasdam Lex vel consuetudo ad formam contractus civilem requirat. Ex his porro concluditur, quod quicunque ex pacientibus suam intentionem in hac vel illa calusula fundat, istam speciatim allegare, eandemque contractui atque conventioni appositam probare debeat. arg. l. 2. de probat.

## Th. XIV.

Possunt porro nostrae clausulae commode dividi in generales, quæ pluribus conventionibus atque contractibus communes sunt; & speciales, quæ singulatim in his vel ipsis contractibus tantum obveniunt. Ex his præterea quædam in Preliminariis contractuum subsistunt, & sic quasi in antecessum operantur & præparant contractum, eique certam formam futuram præscribunt. Quædam ipsis contractus contextui immiscentur. Quædam Fini contractus ac conventionis subjiciuntur, æquali tamen omnes efficacia.

## Th. XV.

Inter clausulas contractuum generales ac præliminares primo loco memoranda illa clausula, quando pacientes inter se speciatim atque expresse conveniunt; perfectum prius contractum esse non debere, nisi in scripturam redactus sit, & instrumentum desuper per subscriptionem & subsignationem partium fuerit completum. Quæ clausula, formula Germanica ita solet exprimi: Es solle der vorseyende Contract nicht ehe gültig und bündig seyn, bis und bevor selbiger zu Papier gebracht, und von beyden Partheyen unterzeichnet, sive unterschrieben und besiegelt worden. Cujus fundamentum habetur in l. 17. Cod. de fid. instrument.

## Th. XVI.

Est vero hæc clausula expresse pacto præmittenda, cuius hæc ex cunque conventioni adponatur. Cum enim omnium con-

Clausula  
de contrac-  
tu in scri-  
ptis cele-  
brando.

præmis-  
tenda.

B 2

ventionum naturale ac generale fundamentum sit *consensus*; quocunque modo inter partes, ad paciscendum natura aut lege habiles, declaretur; l. 1. ff. de pact. facile inde sequitur, quod scriptura super placitis & punctis contractuum adhibita, ad substantiam illorum neutiquam pertineat, verum *memoria* saltem & *probationis* facilioris causa soleat & possit adhiberi, l. s. Cod. de transact. Neque enim scriptura conventionem aut contractum constituit, sed tantum conventionem semel consensu partium constitutam, sequitur, eique ex libera voluntate partium extrinsecus accedit. Quodsi ergo scriptura ad formam contractus *necessariam* a partibus supponatur; *Pacto opus est*, quod formam negotio civili, in causis privatorum dat. l. 7. ff. de part. Et quidem *expressum* requiritur, determinans id, & suspendens obligationem, donec scriptura fuerit confecta. Unde non sufficit haec formula loquendi: Es solle diese Abhandlung zu Papier gebracht, zwey gleichlautende Exemplar davon verfertiget, und jedem Part eines davon zugestellet werden. Haec enim verba neque substantiam contractus adficiunt, neque obligationem ejus suspendunt, sed saltem *probationem contractus instrumentalem*, designant. l. 4. de fid. instrum. l. 4. de pignor. atque ideo formam ac naturam conventionis *consensualem* non alterant, nec ad certum quoddam instrumentum determinant, adeoque hoc respectu id non operantur. Stryck. de *Cantel. Contr. Sect. 2. cap. 8. §. 1. 2. 3.*

## Th. XVII.

Vis hujus  
clausula.

Duo autem haec clausula in se præcipue continent. Primo *protestationem* quandam, quod ante completum instrumentum, neuter contrahentium velit ac debeat esse obligatus. Siquidem per hanc clausulam contractus, non tantum in sua *obligationis constitutione*, verum etiam in *perfec-*

*tione*.

fectione ac consummatione suspenditur; Bene hanc rem expo-  
nit Lauterbach in Colleg. Pract. tit. de contrah. empt. §. 4. ubi  
ita differit: ita, ut hic scriptura requiratur non ut causa effi-  
ciens, que influit in effectum, sed tanquam causa sine qua non,  
sive conditio, in quam consensus contrahentium differtur, & qua  
existente ipse purificatur, eoque purificato, contractus perficitur  
& sic potius est conventio de futura emptione, casusque conven-  
tionis differtur in casum scriptura consecuta. In conditionali  
vero venditione non actus conditionis, sed perfectio obligatoria  
& vis obligandi differtur in futurum. Ut proinde nec peri-  
culum nec commodum ante habeatur translatum, quam  
instrumentum scripturæ perfectum & absolutum fuerit.  
Nec antea actio alterutri parti inde detur, donec pacti con-  
ventio fuerit adimpta arg. t. t. ff. de peric. & comm. rei vend.

## Th. XVIII.

Deinde continet reservationem mutuam facultatis peniten- Vis altera  
di. Vid. Fromman. Dissert. de Convent. in script. th. 24. & seqq. clausulae.  
Vis enim hujus pacti est suspensiva obligationis adeoque  
pendente adhuc scriptura, nondum absoluta conditione, to-  
tum negotium habetur pro imperfecto, atque in nudis Tra-  
etatum terminis consistit, quos proinde semper, invita et-  
iam altera parte, impune licet abrumpere. Berlich. Decis.  
142. Cothmann. Vol. IV. respons. 16.

## Th. XIX.

Verum juxta sensum atque praescriptum d. l. 17. Cod. de Requisita  
fide instrum. sequentia, ex communis Doctorum asserto, sunt  
necessaria. (1). Ut scriptura talis in mundum sit redacta.  
Nec tamen necesse putamus, ut vel judicialis confirmatio  
accederit, aut instrumentum solenne a Notario desuper con-  
fectum fuerit. Quia confirmatio judicialis aut Notarii fo-  
lennitas contractum per se non constituit, sed tantum ma-  
joris

joris fidei atque autoritatis gratia supervenit; Neque etiam scripturæ illius, pacto suppositæ, vis a solennitate publica per judicem aut Notarium inducta, sed a voluntate partium per scripturam perfecta & absoluta, dependet. (2) Ut illud instrumentum sita partibus utrisque subscriptum & subsignatum; juxta Princ. Inſt. de contrah. empt. Carpzov. Part. II. Conſt. 33. def. 12. 13.

## Th. XX.

*Appunctu-*  
at̄io hoc  
casu non  
ſufficit.

Ex hoc ergo conſtat; quod ſola *Appunctuatio Contractus* hoc caſu non ſufficiat, verum plena *extenſio* & *formatio* contractus ſint neceſſaria. Quamvis enim alias, ad probationem contractus initi, punctuatio illa, legitime producta & recognita, bene adhiberi poſſit; Attamen hoc caſu rem penitus non conficit, nec conditionis adpoſitæ implemen- tum infert, quia formam legalem contractus pleni non habet.

## Th. XXI.

*Clausula*  
doli.

Vulgaris porro & communis plurium contractuum est *clausula doli*, quæ Germanico idiomate exprimitur: Alles getreulich ſouder Argelift und Gefährde. Solet hæc in fine plurium contractuum adjici, atque videatur in locum antiquæ clausulæ ſurrogata, qua *dolum malum abfuturum*, jure Romano stipulatio interponeretur, cuius vestigium extat in l. 22. l. 119. de Verb. Oblig. l. 19. judic. ſolv. Quanquam enim dolus ab omni contractu abeſſe debeat, atque ſemper præſtandus fit, etiamsi tale quid non fuerit adjectum. l. 68. de contrah. empt. Attamen ad magis deterrendum alterum, ne dolum admittat, & de fraude convin- cendum poſteſt illa clausula admitti.

## Th. XXII.

An faciat  
ex contra-

Duo circa hanc clausulam inquirunt Doctores primo;  
An

An hæc clausula adjecta contractibus stricti juris, eosdem transmutet in contractus bona fidei? Quidam certe hoc adfirmant eti stricti  
Geddeus de contr. stipul. Cap. 8. Conclus. 1. Pingitz Quest. Sa-  
xon. 38. Alii rectius negant. Bartschamp. Tr. de Clauſul. cap.  
5. §. 4. Differentia quidem hæc contractuum ex jure Ro-  
mano formulario suam habet originem, & varios effectus  
civiles producit. Nec tamen hodie penitus cessat, cum  
fundamentum suum in diversa natura & qualitate negotio-  
rum civilium habeat, quæ ex sua conditione & circum-  
stantiis aut laxiorem aut strictiorem interpretationem reci-  
piunt, & hoc sensu illa distinctio tolerari potest. Unde si-  
mul patescit, quod illa clausula doli, contractibus quibus-  
vis apposita, naturam contractuum non queat immutare,  
quippe qui respectu hujus se ex qualitate objecti modifi-  
cant; quod per talem adjunctam clausulam non alteratur.

## Th. XXIII.

Secundo querunt; An hec clausula, instrumento apposita, excludat exceptionem l. 2. Cod. de rescind. vend.? Constat. ni-  
mirum, quod secundum soleritiam negotiatoriam, ex na-  
turali commerciorum ratione, liceat contrahentibus se in-  
vicem usque ad dimidium justi valoris circumvenire, juxta d. l. 2. Cod. item l. 10. ff. de minor. At certe videtur ejusmodi permisla inter pacificentes laesioni, dicta clausula omnino adversari; qua omnis dolus & laesio abesse jubetur. Verum salva res est, nec juris promercialis beneficium, per hanc clausulam subjunctionem excluditur. Bartschamp. Tract. de clauſ. cap. 10. Siquidem ad casus d. l. 2. hæc clausula plane non pertinet, utpote hæc clausula de tali saltem laesione concepta est, quæ dolo adversarii contingit. At vero casus d. l. 2. Cod. ejusmodi laesiones supponit, quæ citra dolum & injuriam contrahentium ex ipso facto, per accidens ex er-  
rore

An hæc  
clausula  
excludat  
benefi-  
cium l. 2.  
Cod. de  
rescind.  
vend.

rore quodam vel imperitia eveniunt. In hisce proinde faltem casibus, ad præcidendam litum multitudinem & stabiliendam commerciorum publicorum securitatem, læsio usque ad dimidium permitta habetur, ut si qua forte incidat inter contrahentes, ea, tanquam casus fortuitus, a paciente ferri debeat. Ex quo neutquam *dolo* indulgetur, hic enim si probari queat, etiam læsio infra dimidium contractum facit rescissibilem, vel nullum. Atque idcirco effectus supra dictus clausulae per legem istam codicis neutquam tollitur aut restringitur, quo minus pro substrata materia, suam efficaciam civilem exserere possit. Et inconsultus faltem clausulae illius intellectus, obstantiam quandam æquitatis afferit. Neque enim læsio nuda contractus rescissionem operatur, sed tantum delosa. Et tum, qui jure suo & beneficio legis utitur, nemini injuriam fecisse censetur, nec in dictam clausulam aut ejus pœnam committit.

## Th. XXIV.

*Non tollit  
haec clau-  
sula bene-  
cia juris.*

Simili modo neque *beneficia juris*, ob hanc clausulam ceplant, cum nequeat in dolo esse, qui sub tutela legis agit. Inde recte concluditur; Quod licet instrumento fidejussorio talis clausula subiecta sit, tamen per hoc beneficium *excusionis* fidejussori competens, non excludatur, uti recte notat Carpzov. *Part. II. Conf. 18. def. 3.* Quanquam enim fidejussor per hanc exceptionem excussionis actionem declinet & creditorem ad debitorem principalem, prius bonis excutiendum, ableget, & ita contra *fidem datam* facere videatur. Attamen hoc fit sine periculo creditoris, ohne Gefahrde; Quia si debitor principalis, excussis ejusdem bonis, solvendo non appareat, regressus rursus adversus fidejussorem patet; est enim haec exceptio excussionis saltem

tem dilatoria non peremptoria, atque idcirco judicium dunt  
taxat differt non extinguit. *Nov. 4. Auth. praesente Cod. de fe-  
dejussoꝝ.* Aliud exemplum esse potest, in *beneficio compe-  
tentia*, quod propter hanc clausulam adhibitam non cessat;  
Quanquam enim per hoc beneficium oppositum, actor so-  
lidum non consequatur; Verum tamen propterea reus con-  
ventus fidem datam non laedit, nec contra clausulam illam  
incurrit: Quia (1) tempore contractus plus sperare potuit  
in facultatibus suis esse, quam postea existit. (2) Quia po-  
test subito esse lapsus bonis, & sic præter intentionem in-  
cidit in casum, ubi propriæ magis saluti quam alienæ stu-  
dere debet. (3) contrahens non ignarus debet esse, se cum  
tali persona contrahere, que ad hoc beneficium, in even-  
tu litis, confugere possit. *l. 19. ff. de Reg. Jur.*

## Th. XXV.

Inter clausulas etiam communes referri potest illa: *sal- Clausula  
vo jure tertii cujuscunque*, quæ idiomate Germanico expri-  
mitur: Männlichen s. einem jeden an seinen Rechten un-  
schädlich, unbeschadet. Item, Mit Vorbehalt eines je-  
dem seinen Rechten Gerechtsamen. It. Jedem an seinen  
Rechten unschädlich und unverfänglich. Continet hæc  
clausula potissimum *protestationem* quandam, quod quis no-  
lit sua pactione juri tertii præjudicare; & quod in casum  
ministræ interpretationis, ad declinandam omnem malam  
suspicionem, jura, unicuique competentia integra reser-  
vare, & nemini quicquam de suo jure detrahere velit.

## Th. XXVI.

Quanquam vero hæc clausula supervacua videri pos- *Vsus hujus  
set, cum nemo paciendo conditionem alterius, extranei, clausulae  
deteriorem facere queat. l. 38. §. 1. de V.O. §. 3. Inst. de inu- generationis  
til. stipul. l. 20. §. 4. de S. P. V.* Unde etiam hanc clausulam

C

nul-

nullius momenti esse judicat Besoldus *thesaur. Pract. Litt. M.*  
*num. 62.* Attamen utilitatem quandoque præstare potest  
in *concessionibus limitatis*. Quando vel plures circa eandem  
rem concurrunt, veluti in re cum aliis communi; vel quando  
jus unius dependet a jure alterius. Ut sic pacificens per  
hanc clausulam sibi præcaveat, quod non ulterius velit ex  
paecto suo adstringi, quam quoad suam ratam suumque ius,  
quod circa rem teneat.

## Th. XXVII.

Exempla  
hujus clau-  
sula spe-  
cialia.

Primum hujus exemplum esse potest in *concessionibus*  
*feudalibus*, quæ vel mediante contractu feudal, vel pactis  
investituræ, vel alia conventionis specie obtingunt, uti  
fieri potest in oppignorationibus feudalibus aliisque; sicuti  
mentionem ejusmodi clausulæ facit Klock. *Tom. III. Consil.*  
*155. num. 54.* Ita quando vasallus rem suam allodialem, in  
alieno territorio sitam, alicui in feudum offerat, *ein auf-*  
*getragen Lehn*, quod facere eidem non interdictum, cum  
ita feudum non *ligium* constituantur *II. feud. 99.* non incon-  
sulto agit, si iura domini sui territorialis per tales clausulas  
protestando conservet; *Wolle sein Guht zu Lehn auf-*  
*tragen*, jedoch den Rechten seines Landes-Herren un-  
schädlich. Quamvis enim, etiam sine adjecta expresse hac  
clausula, iura domini territorialis *tacite* habeantur exce-  
pta & reservata. Siquidem nexus ille territorialis, quo  
subditus Principi suo territoriali obstringitur, non solvitur  
per susceptum illum nexum feudalem, sed simul invicem  
possunt subsistere, ex hac ratione; quod territorii jus va-  
salli *personam*; feudum vero *rem* afficiat, & sic talis vasallus  
duplicem quasi respectum sustinet, quo unus, ad suam per-  
sonam subjectionem, alter ad obligationem realem feudi re-  
fertur. Unde etiam vulgatum axiom; *Vasallus non est sub-*  
*ditus.*

*dius.* Neque etiam ex jure vasallagii ad *jus homagiale* valet consequentia. Horn. *Jurisprudent. Feud. Cap. XIII. §. 3.* At-tamen ista clausula in eo potest pacifcenti esse proficua: Ne forte illa feudi oblatio in speciem *protectionis clientelaris* de-clinet, & sic jura territorialia offendat. Bæckelm. de *Jur. Protect. Part. II. cap. 7.*

## Th. XXVIII.

Pariter ex parte domini directi usum habere potest. Idem ex hæc clausula, quando Vasallum cum re sua extra curiam suam, sive territoriorum sita, investit, eumque in Vasallum recipit, protestatur per talem clausulam, se non velle jura territorialia imminuere, aut vasallum per hanc collatam investituram a sua subjectione ordinaria abstrahere. Vti exempla refert. Horn. *Jpdent. Feud. Cap. 3. §. 25.*

## Th. XXIX.

Pari modo huc spectat clausula in concessionibus usi-tata: *So viel wir daran zu verleghen haben.* Cujus meminit Klock. *Tom. II. Conf. 16. num. 13. & seqq.* Usus enim esse potest in *Condominio territoriali vel feudal* quando plures sunt domini directi vel territoriales, adhuc in *commu-nione* existentes, & quis cum parte suæ ratæ alterum investire velit, durante adhuc communione; Aut etiam *expe-ctantiam feudalem* velit quis concedere, nescius autem sit, quantum eidem in futura divisione obventurum sit. Ergo, ne plus videatur dedisse, quam ejus jus patitur, & ne in plus evictionis nomine a vasallo conveniri possit, per hanc clausulam a nexus obligationis se immunem præservare po-test; cum alias collatione investiture indefinite facta, periculum incurrat, ut plus videatur contulisse, quam ipse pro præsenti habet, aut in futurum habiturus foret.

C 2

Th. XXX.

## Th. XXX.

In oppi-  
gnoratio-  
ne feudi  
clausula.

Præcipue vero ejusmodi clausula intervenit, in *oppigno- rationibus feudi*; & consensu desuper a domino directo im- petrato. Ubi solet confirmationi hujus oppignorationis subiecta clausula: *des Lehns-Herren*, item *den Lehns- herlichen Rechten unschädlich*. Carpzov. Part. II. Const. 46. def. 11. Infert nimurum hæc confirmatio hypothecæ feudalis obligationem quandam ex conventione, quæ id efficit, ut quando feudum deficiente successore, vel alio modo ad dominum directum, ex casu aperturæ, devolvitur, ipse dominus tam ratione fortis quam usurarum te- neatur. Atque idcirco per istam clausulam conventionum hoc consequitur, quod ultra quantitatem definitam, tem- pus ac modum, si v. g. sub certa conditione sit pecunia accepta in usum feudi, forte ad dotem ex feudo filiabus dandam, impendatur, dominus consentiens non teneatur, ultra quam conventum est. Et sic præcavetur domini præ- judicium, si fortasse creditor per nimis laxam interpreta- tionem consensum ac confirmationem impetratam, ultra quam par est, velit extendere. Struv. Synt. Feud. Cap. 13. th. 7. num. 8.

## Th. XXXI.

Cessio u-  
susfructus.

Utilis præterea hæc clausula esse potest in *cessione* *usufructus* vel potius circa *commoditatem utendi fruendi ce- dendum*. Cum enim jus usufructus sit personalissimum & veluti offibus fructuarii inhæreat, ac cedi proprie non pos- sit; adeo, ut si de facto v. g. ædes fructuarias veluti pro- prias quis cesserit, fructuarius jure suo cadat. arg. l. 1 Cod. de sepulcr. viol. Struv. Jurisprud. Lib. 2. tit. 8. §. 20. quia do- losa talis cessio & animo intervertendi jura proprietarii videa- tur facta, ac inde juris amissionem operatur. Unde ad cavil- lato-

latorias interpretationes & poenas caducitatis evitandas, utile omnino erit, in tali translatione facultatis utendi fruendi, eam clausulam adjicere; *Salvo jure proprietarii, dem Eigenthums-Herren an seiner eigenthümlichen Gerechtigkeit unschädlich.* Similiter in *locatione* ususfructus ac forte dotalitii, utilis est ejusmodi expressio, ad præmonendum conductorem & de qualitate prædii informandum, ne forte, quando morte finitus fuerit ususfructus & ipse ante tempus locationis finitum cedere de fundo compellatur, regressum adversus locatoris hæredes instituat, ad compensandum locationis tempus, vel ad interesse præmaturi discessus præstandum. *l. 9. §. 1. locat.*

## Th. XXXII.

Inter clausulas *speciales* utilis est memoranda cautela *Clausula circa ineundas Transactiones;* Ut nimurum in casu *non adimplenti ac servati transacti, causa atque processus in suo pristino statu ac jure remanere debeat.* Dass im Fall der nicht Gelebung des transacts oder getroffenen Vergleichs, die Sache, der Procesz in seinem vorigen Stand und Rechten verbleiben, und nichts davon aufgehoben oder vergeben seyn solle. *Sive etiam sub formula Legis commissoriae potest exprimi: Dass im Fall der geschlossene transact nicht solle gehalten werden, selbiger sodann null und nichtig seyn solle.* Schœpf. *Syn. J. P. Rom. tit. de transact. num. fin.* Idem notat & commendat Stryck *Cautel.*  
*Contr. Sect. 3. cap. 7. th. 23.*

## Th. XXXIII.

Cum enim per transactionem spontaneam, libero partim consensu, citra necessitatem factam actio anterior tollatur Struv. *Synt. Civ. Exerc. VI. th. 65.* Nec non privilegia, commoda & accessiones simul pereant, si quando eadem in-

C 3

Utilitas  
clausulae  
in trans-  
actione.

in trans-  
actione.

defini-

definite, & sine reservatione anteriorum iurium con-  
venta sit Faber in *Cod. Subaud. tit. de Transact. def. 2.* Igitur  
utile est, per hanc speciatim insertam clausulam, sibi præ-  
cavere, ne forte alter transigentium nos illudat, executio-  
nem, quæ proxime instabat, declinet; causæ nostræ privi-  
legia forte prioritatis, &c. evertat, & in casu non servatæ  
fidei nos denuo ad novum processum, & in detrimentum  
trahat; Hac vero clausula adjecta, transaction fit *conditiona-  
lis*, & alter per indirectum ad servandam fidem eo magis  
compellitur. Si enim transigens nolit commodo per trans-  
actionem forte obtento v. g. per remissam quantitatem de-  
biti &c. destitui, fidem transactionis adimplere constringi-  
tur; & sic alter transigentium eo tutior esse potest, de im-  
plemento transactionis secuturo. Ex quo fluit, quod hac  
clausula omissa, ex ipso quidem transactione agi possit adver-  
sus contra venientem; at tantum *ordinaria* actio personalis  
datur. *Mev. Part. V. decis. 120.* Et licet ad *interesse* agere in-  
super liceat, tamen haec petitio nimis onerosa propter pro-  
bationem, & longinqua propter executionem esse potest,  
ut ideo per hoc transigenti non satis consultum sit.

## Th. XXXIV.

Equidem putat Dn. Stryckius in *Uſu Mod. Pand. tit. de  
Transact. th. 4.* Quod hodie transaction post *l. fin. Cod. de Novat.*  
nullam novationem inducat, quia non tollat priorem obligationem  
ipso jure, si Aquiliana stipulatio & acceptilatio desit,  
sed exceptionem saltem tribuat: Unde etiam non servata  
fide transactionis, pristina actione experiri liceat. *org. L. 14.  
Cod. de transact.* Verum quanquam haec sententia de jure  
Romano satis certa fit; Quod transaction *nudo pacto* inita,  
novationem non involvat, *L. 17. L. 19. l. 28. l. 36. Cod. de transact.  
l. 21. Cod. de pact.* Siquidem nudum pactum de jure civili  
actio-

Examini-  
natur  
Stryckii  
opinio.

actionem civilem ipso jure perimere non potest. §. 3. 7. de  
except. l. 17. §. 2. de pact. Ac proinde quando transactione,  
nudo pacto inita, actor fidem fregerit, & actionem, de qua  
transactum est, denuo inteutaverit removebitur exceptio-  
ne pacti l. 17. Cod. de transact. ita tamen, ut sit in arbitrio  
rei conventi, an velit, hac omissa, & ipse recedere a' placi-  
tis l. 14. Cod. de transact. Si vero reus transactionis fidem  
non praetiterit, datur prior actio l. 17. de inoffic. testam. & si  
reus actori denuo agenti opponat exceptionem transactionis,  
ipse replicatione uti potest doli vel in factum. l. ult. Cod.  
de advers. transact. atque ita consequitur actor oblique per  
replicationem, quod directo per actionem consequi non  
poterat. l. 18. l. 28. Cod. de transact. Struv. Synt. Civ. Exerc. VI.  
ib. 65. Verum enim vero, cum juxta mores Germaniae pa-  
ctum nudum idem operatur, ac olim stipulatio. Utique  
censendum erit, transactionem etiam per pactum nudum ini-  
tam, priorem obligationem cum annexis ipso jure tollere, &  
ita per consequentiam speciem novationis inducere; quod  
præcavere per clausulam, omnino utile ac necesse est.

## Th. XXXV.

In transactionibus præterea, qua fiunt super *delictis protestatis privatis*, occurrit clausula quædam *protestationis*, scilicet, *transactio intransigentem non animo confitendi, sed pro redimenda vexa &c.* Es one super habe sich Transigent nicht um des willen in einen Ver- gleich eingelassen, als ob er sich des angeschuldigten Verbrechens schuldig erkenne, dagegen er feyerlichst wolle protestiret haben; sondern bloß um deshalbem, sich von aller Ansprache los zu würcken, und außer allen vexam zu setzen.

## Th. XXXVI.

Casus clausulae adhuc hodie frequentes contingere Casus & titi-  
litas hujus possunt clausulae.

possunt v. g. in transactione super accusata *injuria*, atque  
imputato *furto*. Ubi quis ne longius rumor feratur atque  
ne quis varia incommoda, inde emergentia, subeat. Solet  
ac potest quidem inculpatus cum eo, qui alterum reum ho-  
rum criminum facit, pacisci, ac super interessè ab auctore  
exacto cum eodem transfigere. Verum si simpliciter tran-  
sigat, liberatur quidem ab actione vel intentata vel penden-  
te l. 17. §. 1. de paet. l. 26. §. 5. de noxal. act. At vero ex  
hoc transacto illud inducitur, quod videatur delictum, cu-  
jus arguitur, confiteri, & sic confessus habetur pro judi-  
cato, & sic ipso jure infamiam contrahit. l. 4. §. fin. l. 5. de  
his qui not. infam. Hæc ergo infamia evitari censetur, per  
subjectam illam clausulam protestationis. Stryck de cautel.  
*Contr. Sect. 3. cap. 7. §. 10.* Verum enim vero si rem penitus  
consideramus hæc clausula protestationis sola, ad salvandam  
famam, non erit sufficiens, cum sit protestatio facto con-  
traria; imo ipsa causa infamet. Quæ infamia cum per no-  
tam legis *publica* irrogetur, per *privatam* protestationem  
non poterit aboliri, aut legis notantis effectus impediri,  
quamdui scilicet in transacto, *causa famosa* & ipsum factum  
turpe exprimitur; quia tunc ipsum factum suppositum,  
famosum est, & transigentem notat. Verum si quando  
talis protestatio prodeesse quid debeat, necesse est, ut *causa*  
transactionis *famosa* removeatur penitus. V. g. in casu inju-  
rie, ita potius formari posset introitus Nachdem zwischen  
N. und N. wegen einem, addatur locus & tempus, vorge-  
fallenen Wort-Streit oder harten Wort-Wechsel Kla-  
ge, Unruhe und Unlust entstanden; Und dann, auf inter-  
position guter Freunde, die Sache endlich dahin gedie-  
hen &c. Sin vero ita fiat principium. Nachdem die zwis-  
chen N. & N. vorgekommene Injurien und Schelten-Wor-  
te

te zum Ausbruch und Klage gedichen &c. non satis famæ transigentis erit prospectum. Pariter in criminis furti introitus *generativ* saltem est formandus: Nachdem wegen einiger von Handen gekommenen Sachen; Non vero, wegen einiger gestohlenen Sachen ic. sich zwischen N. & N. Unruhe und Unzufriedenheit, oder aber auch Verdacht ereignet &c. hoc modo transigens notam non debet incurrire. Siquidem nemo ex nudis suspicionibus damnandus *i. s. pr. de pœn.* adeoque & per transactionem hoc evertere ne latius radices agat, & præcavere, non erit indecens aut famosum. Gail. Lib. II. O. 102. Mevius Part. I. Dec. 223.

## Th. XXXVII.

In donatione quoque omnium bonorum vel etiam quan- Clausula  
reservans  
usumfru-  
ctum.  
doque certæ unius rei, frequenter occurrit clausula, qua fibi donator *usumfructum in rebus donatis ad dies vita refer-  
vat.* Ne scilicet quis donando omnia bona se ipsum necessariis vitæ subsidiis privet, & ita donatarius aut fructu donationis destituatur propter *beneficium competentia*, quo donator erga donatarium fruitur; aut periculum faceret ne autoritate superioris invalida declaretur talis donatio, quæ donatorem in summam angustiam conjicit. *I. r. de do-  
nat. l. 19. §. 1. l. 30. de re judic.* Idcirco consultum est utique & donatori & donatario, talem reservationem subjecere. Quæ quidem ratio licet in donatione rei particularis cessare posset; utiliter tamen illa reservatio ex eo adponitur; ne aut nimis profusus in liberalitatem donator; aut nimis avidus donatarius, bonis alterius adhuc vivi nimis inhians videatur. Maxime si res donata sit alicujus valoris, & sic donatarius invidiam magis & sinistras aliorum opiniones depellit, quando usufructus donatori reservatur.

D

Th. XXXVIII.

## Th. XXXVIII.

**Clausulæ  
Pactorum  
dotalium.** Donationibus omnium bonorum accedunt *Pacta dota-*  
*lia*, quando conjuges sibi reciproce; forte in casum mortis,  
superstiti omnia bona assignant, *reservata* tamen sibi, *super*  
*quibusdam vel de certa summa aut de certa parte disponendi fa-*  
*cultate*. Ubi quæritur; An si nihil post mortem conjugis,  
de isto reservato dispositum inveniatur, an illud conjugi  
superstiti accrescat: an hæredibus aliis res ab intestato  
obveniat? Nos quæstionem facti magis quam juris esse cen-  
semus; & potissimum ad ordinem verborum attendi debebit.  
Nimirum dispiciendum ad *formulas factæ reservationis*; Aut  
enim reservatio suminæ vel rei *simpliciter* est facta & dispo-  
nendi facultatem præcessit. v. g. Es reserviret Ihme N.  
N. tausend Thaler, worüber nach Belieben zu disponi-  
ren, er sich ausdrücklich vorbehält. Homburg. Conf. 139.  
Hoc casu facultas testandi conditionaliter est posita, qua  
proinde deficiente, bona reservata manent penes hære-  
dem conjugis ab intestato. Sin vero ita formentur verba:  
Im Fall etwa ein oder ander Theil noch hinkünftig  
durch Vermächtniß oder auf andere Art, etwas von  
dem seinen erworbenen zugebrachten &c. Gütern an je-  
manden vergeben wolte; Soll solches bis auf die Sum-  
ma von 1000 Thalern &c. zu thun erlaubt und zugelas-  
sen seyn. Hoc casu reservatio suminæ testabilis *condicio-*  
*naliter* est facta & sic non *restrictive* sed *demonstrative* saltem  
verba sunt posita. Unde cessante dispositione, manent bo-  
na in sua integritate penes superstitem conjugem, & datio-  
nem bonorum non alterant. Conf. Graffi *Dissert. de Reserv.*  
*Bon. Liber. test. facult. th. 1. & seqq.*

## Th. XXXIX.

**Reservatio  
optionis.**

Occurrit etiam in pactis dotalibus *reservatio optionis*,  
circa

circa fundum *estimato* in dotem datum. Cum enim talis *estimatio* faciat venditionem, siquidem titulus pro dote est titulus dominii translativus, & sic *estimatione* & traditio ne interveniente, transit dominium fundi dotalis in maritum. *l. 18. pr. de jur. dot. l. 9. l. 10. Cod. cod. l. un. §. 9. Cod. de rei uxori. act. Struv. Synt. Civ. Exerc. 30. th. 14.* Utile est uxori ejusve hæredibus, talem clausulam optionis adjecisse; Ut soluto matrimonio, liberum maneat uxori ejusve hæ redibus, aut fundum dotalem, aut taxam repetere. Poteſt enim contingere, ut pretium fundi minus fuerit tempore initi matrimonii, jam vero ex eventu creverit, & jam ma jus sit tempore soluti matrimonii, ut sic melius sit rem ha bere, quam pretium. Vel etiam aliud poteſt intereffe, aut hæredum ex parte affectionis, professionis &c. concurrere.

## Th. XL.

Tradit etiam Stryckius in *Cautel. contr. Secū. III. cap. 8.* Reserva zib. s. singularem quandam reservationis clausulam, qua tio iurium uxor nubendo extra territorium sibi jura patriæ suæ in suc cessione speciatim reservat. Quam tamen clausulam non indistincte operari censemus, sed tunc demum, quando mutua jura succendentium conjugum sunt mere privata, hoc est, privatorum conjugum utilitatem saltem respiciunt. At vero si intereffe aliquod publicum simul concurrat, clau ſula hæc non erit valida. v.g. Quando uxor Saxonica nubat in illo loco, ubi *communio bonorum* viget, atque ad fidem & tutamen publicorum commerciorum recepta est, eadem que velit pacisci cum marito; Quod illata sua velit, ante deductionem æris alieni, quod ex communione conjugali commune est repetere, & sic credidores mariti spe vana fal lere. Hoc tolerandum non erit, quia scilicet admissa com munionis cauſa, scil. matrimonio, admittendus etiam erit

D 2

effe-

effectus, nimirum solutio æris alieni ex communibus bonis, facienda ita, ut uxori prælationis locus, quoad illata sua, quæ semel per communionem bonis mariti sunt immixta, & ita creditoribus ipso jure, dispositione Juris Statutarii, obstringuntur non possit competere. Kohl. de *Pact. dotal. Part.* I. n. 68. & *Part. II. Quæst. 10.* Secus foret, quando per pactum quoddam, nuptias antecedens, bona illata ab uxore specificè bonorum communioni fuerint exempta. Stat. Hamb. *Part. II. tit. 11. art. 11.* Mevius ad *Jus Lubec. Lib. II. tit. 2. art. 12. num. 363 & seqq.* Constat enim, posse per pacta communionem restringi, & sic juri Creditorum anteverti. Quanquam ejusmodi pactio marito mercatori magis noxia queat esse, quam uxori proficia. Conf. Rodenburg. de *Jure Conjug. Tit. 3. & 4. cap. 1 & seqq.*

## Th. XLI.

*Clausula:*  
auf einen  
ledigen  
Anfall.

In *Pactis successoriis renunciativis*, quando v. g. filia in gratiam fratum, vel etiam secundo geniti in gratiam primogeniti, hæreditati paternæ vel maternæ &c. renunciant, adjici solet *clausula Reservatoria successionis* verbis: *als einen ledigen Anfall.* Ad hunc nimirum effectum, ut quando illi, in quorum favorem renuntiatio fuerit facta, nondum sibi delata hæreditate, deceperint, vel alio modo ad successionem inhabiles facti fuerint, jus suum successionis, quod ante renunciationem competebat, integrum sibi atque illasum reservant. Hahn. de *Jur. rer. conclus. 48. n. 31.* Struv. *Synt. Civ. Exerc. 38. th. 51.*

## Th. XLII.

*Tutius*  
hæc clau-  
sula ex-  
presse in-  
feratur.

Quamvis vero quidam ex Doctoribus putent, tacite hanc clausulam in pactis illis renunciativis subintelligi, & quidem ex illa ratione, quia omnes renunciations jurium sint strictæ interpretationis, & ultra casum suum limitatum non

non sint extendendæ; & quia omnis conventio intelligatur rebus sic stantibus, adeoque ad futuros casus ex accidenti & præter cogitata emergentes non queant extendi. Gail. Lib. II.  
Obs. 148. num. 10. Muscul. de Success. Convent. Conclus. VI. Litt.  
E. & seqq. Breulæus de Renunciat. Caus. 4. cap. 8. Id quod facilius admittendum foret, quando ex formula renunciacionis inserta de ejus causa movente ac finali appareret, quare renunciatio fuerit facta; quia tunc limitata voluntas limitatum produceret effectum. At vero difficilius hæc mens atque intentio renunciantium eruenda foret, si quando verba renunciationis indefinite fuerint concepta. Ut notat Harprecht Consil. Tubing. Vol. I. Cons. 2. Ubi certe omni casu, si clausula talis fuerit omissa, anfa ad disputandum oriri potest; Et periculum subeundum est, ne, si causa in judicem imperitum incidat, qui non satis gnarus est analogiæ juris, facile contingere possit, ut ille figuram litterarum renunciationis externam sequens, jus succedendi contradictori agnato vel cognato adjudicet, ut sic semel vulnerata persentiam causa, difficulter remedium quæratur; Idcirco tutius est illam clausulam expresse & speciatim adponere.

## Th. XLIII.

Pertinet autem vis atque effectus hujus clausulæ successionis eventualis reservatoria, non tantum ad renunciantem, quando vivo illo vel illa, casus vacantiæ contigerit; Vis hujus clausulæ quousque se exten-  
Verum etiam ad renunciantis hæredes. Ut enim pactum dat, ipsum renunciativum hæredes submovet, iisdemque nocet in casu, quando tempore devolutæ hæreditatis renuncians adhuc in vivis existiteret; Ita quoque e contrario idem, ex natura correlativorum professe debet; ut jus, defuncto eventualiter reservatum, tunc, impedimento remoto, nunc in personis hæredum effectum suum exserat. Erat enim

D 3.

hoc

hoc jus ex pacto jam defuncto in actu primo acquisitum, & sic ad hæredes transmissibile fuit. Conf. Stryck. de Success. ab intest. *Dissert. VIII. cap. 10. §. 93. & seqq.*

## Th. XLIV.

Clausula  
circa divi-  
sionem  
hæreditati-  
tis nec  
non alias  
res singu-  
lares com-  
munes.

*Circa divisionem quoque hæreditatis, tam testatae quam intestatae, nec non alius rei singularis communis clausula observanda venit, quando cohæredes vel socii; sibi invicem vel uni tantum aut alteri, jus protimiseos per specialia pacta recessui forte divisorio immixta, reservant: Utilis potest esse hæc reservatio, si quando uni ex sociis, tota aliqua res v. g. domus vel fundus ex hæreditate attribuatur. Quan-*  
*quam enim alias cohæredi de jure communi, jus protimiseos in re hæreditaria, præ extraneo juxta tradita interpretum competit. Berlich. Dec. 301. Carpzov. Part. II. Conf. 31. def. 4. Attamen hoc in facta divisione extinguitur; Ergo reservatione speciali opus est. Stryck. de Causel. Contr. Sect. III. cap. 4. th. 15.*

## Th. XLV.

Resignatio  
sortis re-  
servata e-  
jusque ef-  
fectus.

*Ex contractu mutui sive crediti, Resignatio sortis hic notanda venit, quæ plerumque utriusque parti libera reservari solet; clausula speciatim inserta: Es bleibt aber bey den Partheyen eine vierteljährige, halbjährige,jährige Löß- kündigung bevor, sive frey. Obvenit etiam talis clausula in aliis contractibus ubi facultas reluendi datur, scilicet in pacto Retrovenditionis, nec non pacto pignoris. Et aliquando ad certum modum illa resignatio restringitur; v. g. ut particulatim sors resignetur; Solle das Capital nicht auf einmahl, sondern jedesmahl nicht mehr als etwa 100, 200 Thaler ic. lößgelüdiget werden. Operatur hæc clausula ex utraque parte tam creditoris quam debitoris; ita, ut nec creditor ante recipere teneatur sortem; nec debitor ante*

ante compelli possit ad solutionem, nisi prævia resignatione tempestive facta. Quod si vero creditum vel fundus ad retrvenditionem longo tempore sit datus. v. g. Ne liceat intra quinque vel decem annos repetere aut reluere. Cautela loco tunc observandum; ut tale quid sub illa conditio ne indulgeatur, si debitor non morosus fuerit in usuris sol vendis, atque si debitor in bono statu permanserit, ne alias creditor ex dilatione resignationis periculum incurrat. Ac proinde reservatio sit sub illa formula: Solte der Debitor binnen solcher Zeit in der Zahlung säumelig sehn; oder sein Zustand sich verschlimmern, bleibt Creditori &c. Stryck. de Cauel. Conr. Sect. II. cap. I. §. 18.

## Th. XLVI.

In *emptionibus, venditionibus* aliisque contractibus do- clausula in  
minii translativis plures observare licet clausulas huc perti-  
nentes; Uti habetur primo in alienatione rei feudalis, quando  
consensus domini directi in contractu speciatim reservatur,  
verbis: Bis auf Lehnherlichen Consens. Item mit Vor- alienatio-  
ne feudi.  
behalt Lehnherreichen Consensis &c. Etenim constat,  
quod vasallus sine consensu domini directi rem feudalem,  
citra privationem feudi, alienare non possit. II. feud. 42. 44.  
52. Attamen minime consultum foret, consensum domini  
in antecessum expetere, antequam emitor existat, &  
contractus fuerit inter partes regulatus. Siquidem non suffi-  
cit alienationem domino directo notificasse, verum idem  
plene de conditionibus ac pactis contractus informari de-  
bet; id quod utilissime fit, copia vel etiam originali con-  
tractus ad dominum directum vel ejus curiam feudalem  
transmisso. Cum enim domino directo, jus revocandi feu-  
dum in casu negleæti consensus competat; Idcirco ut em-  
tor æque ac vendor ex omni parte tutus esse queat, ple-  
ni-

nissima denunciatio est facienda. II. Feud. ss. Struv. Synt. Feud. Cap. 13. opt. 12. n. 6. Hæc autem antea fieri non potest quam certæ conditiones contractus inter partes fuerint definitæ. Ne igitur emptor interea, forte pœnitendo discedat dum petitur aut expectatur consensus domini, & tempestiva occasio præterlabatur; Licitum est in antecessum celebrare contractum, atque ad pœnam felonieæ & caducitatis præcavendam, consensum domini in eodem per specialem clausulam reservare. Schrad. de feud. Part. IX. cap. I.

## Th. XLVII.

**R**eservatio dominii. Utilissima secundo est clausula; qua vendor in re vendita dominium sibi reservat, usque ad solutionem integri pretii cum omnibus usuris, atque interesse. Verbis: Es will sich Verkäufer das volle Eigenthum des verkauften Guthes, Hauses sc. bis zu Bezahlung der vollen Kauff-Summe an Capital, Zinsen und Interesse ausdrücklich hiebey reserviret und ausbedungen, it. vorbehalten haben sc. Hujus clausulae effectus hic est; ut vendor tamdiu maneat dominus rei venditæ, donec pretium integrum cum usuris & interesse fuerit solutum. Idque procedit, etiamsi fides de pretio fuerit habita, nec pro parata pecunia res fuerit vendita. Nec obstat huic reservationi traditio facta, censemur enim esse conditionaliter facta, ut scilicet pendente conditione, suspensa dominii translatio & id venditori reservatum habeatur. Possumus enim traditionibus rerum nostrarum, pactum adjicere, quod velimus, atque inde effectum traditionis modificare. l. 48. ff. de part. Scaccias de commerc. §. 1. quæst. 1. Part. 2. ampl. 8. num. 164. & seqq.

## Th. XLVIII.

An constitutum possessorum Vend. th. 5, quod eundem habeat effectum Clauses constituta posses-

titum posse.

*possessorii*; emtioni, venditioni adposita, ut nimirum emitor tamdiu rem nomine venditoris possideat, vel etiam precario detineat, donec pretium solutum fuerit; constitutum enim hoc conservare prioris venditoris possessionem & per hanc dominium. Parlador. *Lib. I. Rer. Quotid. cap. 8.*  
*n. 4.* At vereor, quin haec cautela ad securitatem venditoris plenam sit sufficiens, quia aliud est dominium aliud possessio, neque illa perpetuo inter se sunt connexa. Quamvis enim per procuratorem, nostro nomine rem traditione acceptantem, acquiratur nobis possessio & per hanc dominium *§. 5. Inst. per qu. cuiqu. adquir.* Attamen hoc singulare est, quia alias per procuratorem, tanquam personam extraneam, dominium; tanquam jus aliquod, ex subtilitate juris non possit acquiri. At vero ex hoc singulari perpetua connexioni & possessionis non est inducenda, quippe quae in se & sua natura inter se separata sunt. Ita creditor, cui sub pacto constituti possessorii, res a debitore, qui manet in possessione, creditoris nomine, est oppignorata, non propterea etiam dominium pignoris consequitur, sed plenioram saltem & promptiorem pignoris eventualem persecutionem. Idem proinde in venditore, per hanc clausulam constituti possessorii puto contingere, non vero ex hoc etiam dominium eidem reservari. Cum omnia pacta sua natura sint stricte interpretanda.

## Th. XLIX.

Utilitas hujus clausulae se in multis exserit; præcipue *Utilitas in concursu Creditorum*, super bonis emitoris, adhuc debitoris, existente, adeo, ut teneatur quidem venditor ad Proclama vel edictalem citationem comparere, & suum creditum profiteri; At vero non cogatur se concursui immiscere, sed possit, jure reservati dominii ad beneficium separare.

E

para-

hujus  
clausulae

parationis provocare, atque sic ratione sui residui, in pretio ex illa re subhaftata redacto, omnibus creditoribus emtoris præfertur, etiamsi quis anteriorem aut privilegiatam hypothecam habeat. Quia pignus a debitore hoc casu emtore, in rebus suis antea constitutum tantum afficit res, quæ in bonis ac dominio ejusdem tunc temporis existunt, cum quis nemo rem alienam invito ejus domino, valide oppugnare queat. *I. pen. Cod. si res alien.* Ac proinde tale pretium rei venditæ, non potest ad concursum pertrahi, nisi cum suo onere, hoc est, ut eadem conditio dominii purificetur & venditori plene satis factum fuerit, arg. *I. 3. §. 18. de tributor. act. Gail. L. II. obs. 15. Beuth. de Jur. Prælat. Part. II. cap. 18. Köppen. Part. I. decif. 28.*

## Th. L.

*Quid juris  
circa peri-  
culum.*

Controvertunt vero porro Doctores, quid tali casu in contractu hoc modo clausulato, juris sit circa *periculum rei venditæ*. Hoc ita penes venditorem remanere, statuit Carpzov. *Lib. I. Reß. 108.* secutus communem regulam: *res perit suo domino.* At vero cum hujus regula notabilis sit exceptio in re vendita, ubi res etiam nondum tradita, contraetū semel perfecto, emtori perit, tanquam ei, cui res *in specie* debetur. Idcirco Carpzovio assentire non possumus, quia in emtione periculum non jure dominii sed jure contractus transfertur. *t. t. ff. de peric. & commod. rei vend.* Cum vero per hanc clausulam non contractus ipse differatur, sed illud saltem, quod est consecutivum contractus restringatur, utique ex hoc sequitur, reservato licet modo dominio, non reservari periculum, quod hoc casu emtionis, a dominio & domino, ex dispositione legis est sejunctum. Interim ad omnes disputationum materias præcidendas, commendant hanc cautelam ut dominium reservetur, addita declaratione, jedoch ohne alle Gefahr. Stryck. *de Cautel contr. sect. II. c. 8. §. 25.*

## Th. LI.

Accedit huic tertio, tandem simplex *Reservatio hypothecæ* in re vendita. Verbis: Es will sich Hr. Verkäufer, zu mehrer Si pignoris s. herheit des Kauff-Schillings, ein ausdrückliches Unterpfand in dem hypothecæ verkaussten Guth reserviret haben. Vel etiam hæc clausula in personam emtoris transfertur: Es seget auch hiernechst Hr. Verkäufer, zur Sicherheit des accordirten Kauff-Pretii, sein erkauftes Guth zum ausdrücklichen Unterpfand. Prima tamen clausula tuncior est, etenim ista non ita disputationibus Advocatorum, quam posteror erit subjecta. Siquidem hæc posterior jam supponit emtoris dominium, ut sic venditor sit quidem prior in ordine adversus illos creditores, qui post venditionem pignus consecuti sunt, non vero tutus omnino sit præ anterioribus emtoris creditoribus, qui hypothecam generalem vel privilegiam habent. Nec obstat priori clausula; Quod res vendita ante traditio- nem maneat adhuc venditoris, ut sic ista reservatio hypothecæ in re propria videatur invalida, cum nemini res propria pignori esse queat. Verum enim vero, responderetur, est hæc ipsa reser- vatio nihil aliud, quam hypotheca conditionaliter constituta, quæ demum conditione per traditionem consummata, purifi- catur, & sic legibus non est contraria, quia etiam futurae obli- gationi, & sic etiam futurae translationi rei venditæ, pignus valide potest accedere. l. 5. l. 13. §. pen. de pignor. & hypoth.

Utilem censem Doctores venditori hanc clausulam, ad justitias & prælationis in ordine suo obtinendum, modo hæc concurrant. requisita Ut (1) vel ante contractum per modum pacti præliminaris; vel in clausula ipso contractu illa reservatio, & quidem (2) expresse fiat, ac (3) hujus. ante traditionem. Neque enim tacite subintelligitur, cum ex contractu simplici, actio tantum personalis oriatur, quæ nullam prælationem venditori in re vendita ratione residui pretii præ hypothecariis tribuere potest. Deinde etiam ante traditionem hæc reservatio fieri debet, nimis antequam res in bonis emtoris esse cœperit; Tunc enim res cum suo onere, ante traditionem imposito, ad emtorem transit, ut venditor, tanquam anterius in pignore, sit praferendus l. 12. Cod. de distract. pign. Struv. Synt. Civ. Exere. 44. th. 64. num. 3. Postquam enim semel res,

per traditionem ad manus & bona emtoris pervenit, illico ad nexum hypothecæ generalis aut privilegiatae, vel expressæ vel tacita ipso jure redigitur, eo ipso momento, quo res traditur, ac ita in bonis emtoris per traditionem esse incipit; Atque ideo venditor, postea de pignore demum sibi prospiciens, omnibus illis sit necessario postponendus. Add. Carpzov. Part. II. Conſt. 23. def. 17. Mev. Part. IV. dec. 280. Philippi ad Decis. Elector. 63. obs. 2.

## Th. LIII.

**Protestatio de evictione non praestanda.** Obvenit etiam quandoque in Contractibus protestationis clausula, se nolle de evictione praestanda teneri verbis: Ex wolle zu keiner Gewehrleistung verbunden, sive gehalten seyn. Cujus quidem clausulae diversimodus habetur effectus, pro diversa substrata materia. Aut enim agitur de venditione rei; aut agitur in specie de cessione nominis venditi. Priori casu hunc habet effectum, quod re evicta venditor ad reparationem damni, inde emergentis, non obligetur. Mangil de Evict. Quæſt. 163. Quale circa accessiones forte fundi, v. g. jura palcendi, braxandi &c. quæ forte haſtenus controversa fuerunt, & lis adhuc sub judice pendet, facilius evenire potest. Ubi venditor fundi, de eventu litis incertus, potest sibi hoc pacto prospicere. Cæterum cum praefatio evictionis duo in se contineat, partim refusionem pretii, partim præfationem interesse, hoc saltē per hanc clausulam remissum censetur non illa, ne scil. venditor, pretio, re evicta, non recepto, contra naturalem rationem locupletetur cum damno tertii. Mantica de tac. & ambig. Convent. Lib. IV. tit. 24. num. 3. Et segg.

## Th. LIV.

**Quid operatur in cessione.** At circa cessionem nominis quid talis clausula: Es wolle der Cedent zu keiner Gewehrleistung verbunden seyn, operetur, difficiulus patet: Certe constat, quod cedens, ex dispositione juris, non ulterius teneatur, quam ad nominis veritatem præstandam, non vero ad bonitatem ejus L. 74. §. fin. de Evict. L. 4. de hered. vel att. vend. Ut proinde clausula hæc in cessione superaddita, videatur supervacua, cum eadem jam insit, adeo, ut licet debitorum cessum etiam tempore cessionis non solvendo exitisse, probari queat, tamen cedens de bonitate nominis cessi non teneat.

teneatur; sibi enim imputare debeat cessionarius quod nomen ut bonum, probaverit, & quare non melius in conditionem debitoris cessi inquisiverit, imo licet ignoraverit, in ignorantia culpabili versatur, quae non excusat. Remanet ergo dubium an cedens efficacia hujus clausulae, nec de veritate quidem nominis cessi teneatur. Ratio pro *affirmativa* est; Quod alias haec clausula, si non de veritate nominis cessi capiatur sit frustranea, cum nihil aliud exprimat, quam quod jam inest; hoc est, quod tantum de bonitate teneri nolit; ergo ad alterum caput nominis cessi necessario referenda, ut aliquid operetur. Ratio pro *negativa* est, quod cessionarius non habeatur in dubio liberalis & suum jactasse de nominis veritate evictionis praestationem remittens, cum sic ex eventu appareat, se nihil, pro sua pecunia soluta accepisse. Sin vero debitum cessum fuerit incertum quod cum protestatione sine periculo evictionis ceditur, videatur cessio incidere in Legem Anastasianam, & sic otiosa fit. *I. pen.*  
*& ult. Cod. mand.* At vero cum omnia facta ita in dubio sint interpretanda, ut quam minime a jure communi recedant, ideo analogia juris magis convenire arbitror, quod simplex illa clausula de evictione nominis non praestanda, tantum ad bonitatem illius nominis non ad veritatem referri debeat, prout sigillatim decidit & speciali prajudicio Facultatis Wittebergensis confirmat Brunnem, de *Cess. Action. in Addend. ad Cap. 8. §. 6i.* pag. 183. Neque enim juri adversum est, ea quoque in conventione expressisse, qua negotio tacite infunt, uti apertissimum est exemplum in instrumentis venditionum, ubi solennis formula quotidie reperitur: Es verspricht Hr. Verkäuffer Käuffern Landübliche Ge- wehr in den verkaufften Guth zu leisten. Non obstante, quod vendor ad hanc praestandum jam ex natura contractus obligetur, licet eandem speciam non promiserit. *I. 6. I. 9. I. 17. I. 25.*  
*Cod. de Eviſt. Struv. Synt. Civ. Exerc. 27. tb. 18.*

## Th. LV.

Denique in Novationibus utiles sunt clausulae reservatoriae, Clausula circa jus prioritatis, privilegia atque pignora, verbis: Jedoch denen reservatoria in Novatione, bisherigen Prioritäts-Rechten, Privilegiis und Pfand-Beschrei- bungen unbeschadet scilicet. Alias enim reservatione nulla facta, per novationem simplicem & indefinitam omnia haec iuta pereunt.

COROL-

Stryck de Gauſt. Conrr. ſett. IV, Cap. 3.

## COROLLARIA.

- I. Jus naturale & gentium, proprie sic dictum, tantum differunt in modo applicandi.
- II. Non omne judicatum vim habet inducendi consuetudinem, neque illico autoritatem præjudicii constituit, sed plura præcautione opus est.
- III. Sponsalia publica nudo dissensu partium privatō neutiquam possunt dissolvi.
- IV. Pacta sponsalitia nuda, etiam in præsentia proximorum cognatorum inita, obligationem ad consummationem matrimonii, absque alia forma legali, non inferunt.
- V. Differentia inter tutelam testamentariam legitimam ac dativam, neque hodie penitus est sublata.
- VI. Naturæ maris non adversatur, esse in dominio.
- VII. Præscriptionis effectus & naturali & civili ratione potest defendi.
- VIII. Solennia testamentorum juri Naturali non sunt contraria.
- IX. Legata ad pias causas, etiam fideicomissa familiae, eodem testamento ex bonis testatoris relictâ, recte adficiunt, & merito præ illis, tam ex favore causæ, quam ex ratione juris hæreditarii præferentiam habent.
- X. Culparium præstitiones in contractibus ad facti magis, quam juris quæstiones referenda sunt.
- XI. Contractus chirographarius substantialiter differt a contractu mutui.
- XII. Poena homicidii jure divino positivo statuta haberi debet, adeoque immutabilis.
- XIII. Officium ac potestas judicis tam summi quam inferioris, non debet ad iniqua extendi.



)

○



**ULB Halle**  
005 361 46X


3



*Sb*



# Farbkarte #13



3792  
1474  
1742  
16

FIGURALIS JURIDICA  
 RESERVATIO  
 RESTATIONUM  
 US PRIVATORUM  
 ICUIS.  
 AM  
 x

TRIS FACULTATIS  
 DICÆ  
 IAN - ALBERTINA  
 S I D E  
 T LIEB STRUVIO,  
 CO - HOLSATIÆ CONSILIARIO  
 DINIS JURIDICI PRIMARIO,  
 p. t. DÉCANO,

DOCTORALI  
 JURE HONORIBUS AC  
 CIS CAPESENDIS  
 ANNI MDCCXLII.  
 RUDITORUM  
 SUBMITTIT

ANUS DE FINCKH,  
 BREMENSIS.

---

I Æ,  
 RTSCHII, ACAD. TYPOGR.